

fit tanta similitudo quæ per omnia extendatur. Nullam autem necessitatem inducunt, sed ut auditores vel legentes sese obsequentes dictis aut scriptis reddant, maxime accommodata sunt: idcirco nullis argumentis facilius incautos decipi & falliri contingit, quam ijs, quæ similitudine rerum ducuntur.

Huic igitur argumento tuo à simili petito, Eraste, sic respondebo. Materia remota & proxima eodē nomine appellari possunt, non eadem ratione censeri: ut puta sanguis suillus est materia remota carni humanæ, sanguis humanus proximus, & tamen uterque nomen habet sanguinis. Sed sanguis ille suillus nusquam erit materia proxima carni humanæ, nisi multis mutationibus in sanguinem humanum mutatus sit. Discrimen hoc materiæ proximæ & remotæ, et si verum sit in sanguine suillo & humano, non tamen hinc sequitur, argentum vivum vulgare, aut quod ex metallis arte prolicitur, aliud esse materiam remotam, aliud proximam argento & auro. Probavimus enim ex superioribus omne argentum vivum esse argento & auro materiam proximam & sola coctione differre: & quo plus fuerit decoctum eo propius esse eorumdem individuum: nam veluti cineres ex quibuscumque herbis aut lignis aut alijs rebus exustis, sunt proxima vitro materia, tametsi ex diversorum generum aut diversarum specierum corporibus prodierint: sic & ex quibuscumque corporibus argenti vivi materia dissoluta fuerit, erit proxima argento & auro materia.

Hæc et si validissimis argumentis probaverimus tum ex similitudine totius substantiæ, tum ab accidentibus propriis utriusque communibus, tanto tamen verius esse existimandum erit, quanto certum est argentum & aurum finem esse & periodum naturæ metallicæ; non secus ac vitrum finem omnium corporum naturalium. Finem dico, quod ignis illa dissolvere aut corrumpere non possit, sed omnem vim artis tolerent, atque eadem semper persistant, quod propriæ de auro & vitro dici oportet: sed illud à natura ortū est, hoc ab arte elaboratum: hæc de cæteris corporibus ita dici non possunt, quæ non sunt proxima & impermutabilis materia, sed assiduis mutationibus obnoxia. Argentum autem vivum à sua causa efficiente nihil aliud fieri potest, quam argentum aut aurum, cœu cuius igne violento agente vitrum.

Omnia igitur argumenta tua, quæ ex discrimine corporum eiusdem nominis, sed diversæ rationis, attulisti Eraste, hac distinctione evertuntur, quod corporum, quæ sunt eiusdem nominis, alia sint diversæ rationis, ut in sanguine suillo

nec necesse sitatē ināducunt, quia à simili ducentur.

Responsio ad ultima argumēta à simili petita.

Aurum & argentum finis naturæ metallicæ: vitrum est finis omnium corporum naturalium.

Distinctio naturæ corporum eiusdem nominis sed diversæ rationis.